DISCURSUS POLITICUS
DE

FOEDERIBUS,

Quem
ADJUVANTE IPSO FOEDERUM
AUCTORE DEO,
PRÆSIDE
VIRO
Clarissimo atq; Excellentissimo
DN. M. GOTTFRIDO ZAPFFIO,
Philosophiæ in Illustri Salanâ Professore Publico Extraordinario: Dn. Præceptore, Patrono ac Promotore suo æternum suspiciendo,
Publicè ventilandum
exhibet
GEORGIUS NEUMANN/ Perlebergensis
Marchicus,
AUTOR & RESPONSOR.
Ad d. 21. Januarij.
horâ locoq; solito.

JENÆ
Typis JOHANNIS NISII, ANNO
M DC LX.

IN NOMINE DOMINI NOSTRI, JESU CHRISTI AD OMNES ACTUS OMNIAQVE NOSTRA PROGREDIMUR STUDIA:

PROOEMIUM:

ILle plerorumq; mos est ac consvetudo, ut in com̃endatione thematũ, quæ suscepêre tractanda, maximoperè desudent, nec non in decantandâ eorum præstantiâ, utilitate ac necessitate sint toti. Quid nî igitur & hoc nobis, *fœderum* materiam sub disquisitionis incudem revocaturis liceat? quid vetat quo minùs in hâc dissertatione faciamus idem? Cœterum cùm vino vendibili non opus sit suspensâ hederâ, nemoq; sit, qui nostræ hujus materiæ præstantiam nesciat, sine ulla potiùs prolixitate ad rem ipsam nos conferimus. Ne autem propositum nostrum sine ordine aggrediamur, certa qvædam constituimus membra, iisq; rem totam includimus, eo, qui sequitur, modo.

MEMBRUM I.
DE
ONOMATOLOGIA.

§. I.

NOtum est quod Onomatologia, quam optimi quiq; semper docent præmittendam, tria contineat, Etymologiam nimirum, Homonymiam, & tandem Polyonymiam, eadem ergò capita sectamur quoq; impræsentiarum.

Etymologiam quod ſpectat, variæ inveniuntur apud varios autores fœderis derivationes. Quidam putant illud dici *à Fecialibus*, qui ſacerdotes erant, per quos fiebant fœdera, ſicut per ſeculares bella & pro hac ſententia citatur *Iſidorus*. lib. 18. c. 1. Alii dicunt deſcendere eam vocem *à feriendo*, eò quod per fœdus feriatur pax inter dimicantes, quam tamen originationem improbat *Warem: ab Ehrenb.* l. 1. c. 3. n. 22. Nec deſunt quibus derivatio fœderis *à fœdo* deducta arridet, vel per antiphraſin, quod ſit res *quaſi minimè fœda*, vel *à porca fœdè* & crudeliter, *occiſa*, cujus mors optabatur ei, qui â pace reſiliisſet, ut infra dicetur. Plures ſunt, qui *fœdus* deducunt *à fide*, ratione denominationis deſumtâ, *modò à fine*, quem fidem esſe dicunt, cum propterea fœdus ineatur, ut inter partes conſtet, *modò à fundamento*, quia cum fide bonâ fœdera ſunt ferienda. Et quidem ultimam hanc originem confirmamus ex hoc, quod antiquitus pro fœdus ſcriptum fuisſe dicatur *Fidus*, ut & *fedus*, citatis *Varrone & Ennio*. Nos, ſi quæ vera derivatio hujus vocis datur, omninò etiam hanc poſteriorem amplectimur, ut plurimorum non exiguæ autoritatis Virorum autoritate fultam, reiq; ipſi parum abſimilem. Græcis propriè fœdera dicuntur συνθῆκαι qs. *compoſitiones*, ut videre eſt apud Ariſt. 3. Pol. 9. item συμβόλαια. Ariſt. l. ad Alex c. 3. porrò ὅρκια ab ὅρκῳ ſeu *juramento*, quo fœdera ſolent confirmari. & ſi quæ, ſunt plura nomina præſertim apud Poetas uſitata. Hebræis dicitur fœdus בְּרִית â rad. בָּרָה *elegit*, quia eligantur perſonæ inter quas, & res ac conditiones propter quas fœdus initur, vel â בָּרָא *exſcidit*, quia victimæ cœdi ſolebant in fœderibus pangendis, Buxtorf. in voce בָּרָה Germani vocant Bund/ Bündnüß/ â mutuâ obligatione. Sic etiam Itali dicunt *lega*, & Angli *leaque* â *ligando*; Galli *alliance*, ab *alligando* refer. Mart. in Lex. Philol. Vocabulum *Liga* Pontificiis familiare esſe ſolet.

§. 2. *Homonymia* ſequitur, quæ ſanè magna eſt in hac voce, ne verò plus juſto ſimus prolixi, tritiores ſaltem ſignificationes evolvemus, easq; quæ noſtræ tractationi videntur obfuturæ. Sumitur ergo fœderis vox 1. pro quolibet pacto, quâ ratione etiam ſub ſe comprehendit pacem & inducias 2. Pro qualibet conſpiratione etiam illicita. 3. Prout etiam includitur fœdus *miſerabile*,

bile. ubi victi concedunt in tutelam victoris, quod & *dedititium* appellat *Tholos. 11.* de Rep. c. 11. §. 5. per quod dediti evadebant tributarii communiter alterius partis, licèt nos etiam quædam fœdera inter victores ac victos propriè dicta statuamus aliter ac multi, qui universaliter loquuntur. 4. Prout pactionem inter superiorem & inferiorem etiam complectitur. 5. Pro tali pactione, quæ est de aliquâ re præstanda. inter summos imperantes, sive diversas Respublicas, quæ posterior acceptio est solum propriè ac strictè dicta, reliquæ omnes huc non pertinent. Dicitur hoc aliàs fœdus *æquum* ut & *æquale Tholos.* l. 11. de Rep. c. 11. § 8.

§. 3. Synonymia superest: Vocatur ergò fœdus alio nomine *Unio* ab uniendo. Antiquitus apud Romanos confœderati communiter dicebantur *socii*, indeq; oriebantur, *sociales*, classes, copiæ *sociales* & bella *socialia* &c. ut passim occurrit apud Rom. Historiographos.

MEMBRUM II.
DE
PRAGMATOLOGIA.

§. I.

EXcussis nunc iis, quæ ad nomen spectant, realis perpendenda venit definitio: Variæ equidem extant fœderum definitiones, quas tamen omnes hîc recensere ac compilare, aut examini subjicere non est animus; præcipuas tamen enarrabimus, eamq; quæ maximè ad palatum nostrum esse videbitur subnectemus. Quidam igitur hanc definitionem tradere solent. *Fœdus est publica populorum Principumvè inter ipsos conventio in perpetuum concepta.* Quæ definitio. cùm sit angustior suo definito, adeoq; naturæ ipsius rei non respondeat, meritò improbatur à Reinhardo *König* disp. 3. *de Amplificat. Rerumpubl. per fœdera.* th. 4. Quo nomine etiam damnandus venit Petrus *Gregor. Tholosanus*, qui lib. 11. *de Republ.* c. 11. n. 3. inquit: *Est quidem fœdus pactio societatis, at non simplex, sed jussu populi & Senatus autoritate, aut Principe confirmata, neq; ad tempus, sed in perpetuum.* Non enim omnia fœdera sunt perpetua, sed & quædam temporaria à Politicam doctrinam profitentibus constituuntur, prout in membro 4. Videbimus. Aliam & qui-

dem pleniorem, quamvis pauld prolixiorem tradit *Warem. ab Ehrenberg in meditam: pro fœder.* lib. 2. c. 1. n. 14. quam apponere libet. *Fœdus est Principum duorum vel plurium, aut populorum vel Civitatum liberarum pactio publica & conventio indefinitè, vel ad certum tempus, justè, legitimè, & necessariò, ad repellendam vim ad rem communem vindicandam: vel injuriam à communi hoste illatam, vel ad defendendam religionem ac cultum DEI, vel libertatem & Rempublicam conservandam, vel mutuam amicitiam retinendam, aut mutuis auxiliis ad hostem persequendum, initio vel tractu temporis existentem inita, jure divino, Gentium ac Civili introducta, ac hodiè plerumq; juris jurandi religione, & datis obsidibus seu fidejussoribus, & scripturâ interveniente approbata.*

§. 2. Breviorem *ex Johanne Hockenhaff*, refert *Besoldus* lib. 2. *Pol.* c. 6. th. 3. ut & *Reinhard König.* d. l. quæ talis est: *Fœdus est pactio publica duarum vel plurium Rerumpublicarum de re quapiam sibi mutuò præstanda:* Quam ut concisiorem cum *Dn. Besoldo*, retinendam putamus, quamvis suprà ex *Warem.* ab Ehrenb. *adductam* propter nimiam suam prolixitatem non in totum abjiciamus.

§. 3. Et sic cum *Dn. Besoldo* à confœderatis separamus populos simpliciter amicos, qui sibi nihil ex singulari præstant pacto, & inter quos commune saltem valet Jus Gentium, ut nempè liceat in amicorum fines ire, agere, in urbibus commorari, in amicorum negotiari finibus.

§. 4. Præcedente §. 2. in definitione fœderis genus posuimus Pactionem, quæ est duorum vel plurium in idem placitum consensus, cujus variæ suppeditantur divisiones, inter quas & ea est, quâ pacta publica alia dicuntur, alia privata, quarum illa loci hujus sunt propria, & eapropter in definitione adjecta est vocula Publica duarum vel plurium Rerumpublicarum, ut excludi videas pacta privata, quæ inter singulos particulatim homines ineuntur & de rebus privatorum fiunt, horum enim conventiones nusquam pro fœderibus agnitæ, sed conspirationis & conjurationis nomine veniunt. Adjicitur porrò in definitione de re quapiam sibi mutuo præstandâ, intellige honestâ atq; licitâ, Talia enim pacta, quæ

quæ lædunt pietatem, existimationem, verecundiam nostram, ac contra bonos mores fiunt, nec facere nos posse credendum est.

§. 5. Non huc etiam pertinere putamus inducias vel Treugas. quæ fine totoq; genere à fœderibus differre videntur. In fœderibus una pars alteri præstat, quod jure Gentium sine pactione non teneretur præstare. Induciæ autem & Pacificationes subsistunt in simplicibus juris Gentium terminis, ne alter alterum offendat. Besold. l. c.

MEMBRUM III.

NUM LICITA SINT FOEDERA.

§. 1.

PRiusquam ad hanc descendamus quæstionem, pauca de origine & causâ fœderum præmittenda erunt. Hanc autem causam triplicem facimus; promanasse enim dicuntur 1. ex jure naturæ propter commerciorum necessitatem; cum enim non omnis ferat omnia tellus, unius indigentia alterius sublevari debet abundantiâ. 2. Ex jure Gentium quia se omnes tueri non poterant. 3. Ex vi atq; præscripto necessitatis, cum enim crescerent injuriæ, ratio inventa, quâ per fœdera afflicti affligentibus pares redderentur: Videantur. *Cl. Dn.* Franckenstein *ad Boxhorn.* lib. 1. Inst. Pol. c. 11. de *fœder. explanatione* ad §. 2. p. 238.

§. 2. Cum autem sæpissimè in deliberationibus agi soleat, *Utrum fœdera ferienda, & an è salute Respublicæ sint vel minus?* non sicco pede prætereundam hanc duximus quæstionem. Nostrum si quid hoc in negotio valeret judicium, affirmativæ subscriberemus sententiæ, nihil eorum quæcunq; etiam speciosè satis contra hanc afferri possent assertionem, morantes fundamenta, si modò non tantùm divino & naturali, sed & Gentium juri fœdera hæc consentanea esse probaverimus.

§. 3. Et ut de jure Divino hanc nostram exordiamur probationem nullum tàm perfrictæ frontis, qui talia negare audeat futurum speramꝰ nunquam etenim & nusquam fœdera bonum in finem inita à jure divino improbata, sed in contrarium à sanctissimis viris frequentata, & ab ipso DEO æstimata leges *Genes.* 21. v. 22. 24 c. 26. v. 28. it. c. 31. v. 44. Legimus etenim ibi primum sociale fœdus inter Abimelech & Abrahamum jurejurando firmatum esse

Genes.

Genes. 21. inter Isaacum & Abimelech continuatum. Quæ tamen si quis potiùs privatorum pactorum redolere dicat naturam ex multis pauca, & quidem temporis redimendi gratiâ publicorum fœderum recensebimus exempla Non in obscuro est Josuam cum Gibeonitis Jos. 9. Davidem cum Senioribus Israël. 2. *Sam*. 5. Jojadam cum Præfectis Militum 2. *Reg*. 11. fœdus pepigisse. Quæ, si non tanti ponderis esse videantur, ut DEI circa fœdera complacentiam probent, hoc unicum nobis argumenti loco sit, quod tales fœderum violatores DEUS non impunitos fore promiserit; graviter namq; apud *Ezechielem*. c. 17. v. 15. inquit. *Numquid prosperabitur vel consequetur salutem, qui fecit hæc? & qui dissolvit pactum, numquid effugiet? Warem. ab Ehrenb*. l. 1. c. 1. n 12.

§. 4. Jus Naturæ quod attinet, nec ex hoc, fœdera legitimè contracta, licita esse difficile erit probatu, fatentur enim quotquot philosophantur, copulare amicitiam, naturæ consentaneum ac affine esse, Arist. 4. Eth. nec de genere prohibitorum; & quis negabit homines uno ac quasi communi fœdere benè conglutinari, cum natura ipsa cognationem quandam inter nos constituerit?

§. 5. De Jure Gentium quin sint licita fœdera nullus ambigo; hoc probant varia fœderum exempla, quorum pleni sunt historicorum libri; Sic primum fœdus inter Medos ictum, cum clausulâ citra dolum fraudemq;, recenset ex Herodoto *Warem. lib*. 1. c. 2. n. 33. Sic Lacedæmonii Argivos fuderunt, & postea fœdus cum illis pepigerunt apud Tegæam. Sic Athenienses cum Peloponesiacis populis triennale fœdus contraxerunt, quod 14. annis duravit A. M. 3503. ante C. N. 445. illibatum, attestante *Warem. l. c.* Celebratur etiam Atheniensium & Corcyræorum fœdus, quod tamen occasionem bello gravissimo dedit. Clarissimum est fœdus & magnum Germanorum contra Romanos & Gallos temporibus Imperatoris Constantini factum, bellum Alemannis & Svevis indicentis, quo fœdere Reges, Principes ac primores implicati in Galliam duxerunt 35000. solertissimorum militum, Gallicas urbes occupantes, & oppida Rheno vicina destruentes, Gallorumq; 11000. in servitutem ducentes. Incognitum quoq; non est fœdus inter Carolum Magnum & Nicephorum Græciæ Imperatorem A. C. 803

C. 803. ictum, cui interfuit Comes Poppo Hennebergensis, prout ostendit *Warem.* d. c. 2. n. 34. Nihil jam dicemus de fœdere Bohemico inter Maximilianum II. & Saxon Ducem sancito; Nihil de Danico & Holsatico. A. C. 1580. hâc conditione inito, ut quisquis Holsato hostis declaratus sit, idem Dano fit inimicus, & è converso: Non attingemus Smalcadicum in Comitatu Hennebergensi Smalcaldiæ, mense Novembri Anno 1529. initum. Extat & aliud fœdus, cujus Imperator f. Dux olim erat Albertus Bavariæ Princeps Anno 1556. factum, quo & Noribergenses & alii Evangelici continebantur. Et quid opus est præterita revocare, cum toto die omnis mundus scateat fœderibus. Hæc igitur exempla abundè nostram juvare existimo sententiam, cum hoc in articulo plus ferè exempla, quàm rationes valeant. *Warem.* d.c.2 n.37.

§. 6. Ex his omnibus nullo negotio obices à Pseudopoliticis istis objecti removeri possunt, qui vel malitiam hominum, vel abusum rei optimæ vel incertum confœderationis eventum concernunt. Ecquid enim hæc? ob improbitatem vitæ fœdera fugienda censes? vites itaq; omnis generis conventiones, etiam Ungariæ cum Turcis pactiones: ob insperatas vicissitudines fœdera improbas? rerum naturam mutes: superbiam immoderatumq; fastum accusas? abusum accusas: infidelitatem & inconstantiam deploras, & potentibus non fidendum asseris? dum caves, alii te decipient: DEO soli & protectioni divinæ omnia tribuenda clamas? ergò media tollis: cum aliis fœdera inita times? non times, quod solus es: Dissensionem ex fœderibus oriri probas exemplis? facilior extra fœdus erit: infaustum prælium times? vinci solum pejus erat: Pacem laudas? non immeritò, nihil tamen aut est faciendum injustè, aut patiendum turpiter, ut pace frui valeamus *Cic. I. off.* nec pax obstat fœderibus, imò illis conservatur, & bellum impeditur.

§. 7. Concludimus igitur cum *Melch. Jun. part.* 1. Quæst. 74. Quòd 1. ad bellum feliciter gerendum fœdera & societates sint necessariæ, 2. quòd fœdera tùm gloriam tùm potentiam nostram augeant. 3. Quòd natura ipsa societates & auxilia communia requirere videatur, quandoquidem ipsi homini duplices manus, socias aures, oculos geminos tribuerit, ut robustius perageretur of-

ficium, quod duorum societate complendum sit: Concludimus ex abundante & hunc in modum: Quibuscunq; concessum est bella gerere, iis utiq; & fœdera pangere concessum erit; ratio connexionis est, quòd jus belli & fœderis pari passu ambulent, quam communem Dd. & Politicorum sententiam esse, tradit *ReinKing. de R. S. & E. lib. 2. c. l. 3.* c. 3. n. 25. & 60. Fœdera igitur bona per se, & in se optimum pharmacum contra insidias & molitiones aliorum, licet aliquid veneni ex malitiâ hominum attrahant: Bona bonis, improba improbis.

MEMBRUM IV.

DE

DIVISIONE FOEDERUM.

§. 1.

VAriæ solent afferri communiter fœderum species, ut quòd alia fœdera *sint licita, alia illicita, alia sint reciproca s. æqualia, alia miserabilia. s. deditit ia*; Sed quia illicita & miserabilia fœdera sunt solum æquivocè talia, ut suprà dictum fuit, propterea meritò has divisiones præterimus.

§. 2. Nostra verò fœdera, de quibus im præsentiarum est sermo, dividi possunt etiam multipliciter. I. *Ratione Objecti* præstandi, seu earum rerum, de quibus fit promissio, & sic alia sunt 1. *Commerciorum. 2. Alia adjumenti s. auxilii. 3, Alia commerciorum & adjumenti simul*, quam divisionem tradunt *Cellar. inst. Pol.* c. 13. §. 7. *Reinhard. König.* p. 1. *theatr. pol.* c. 5 p. 120. Ista sunt pacta circa res importandas, & exportandas, earumq; securitatem, ne injuria afficiantur. Illa sunt circa suppetias ferendas in bello: Hæc sunt, ubi uterq; finis conjungitur: Ubi notanda 1. adjumentum posse fieri variè, vel enim fit in eâdem re, cum utraq; pars societatis idem promittit ac præstat, quod altera; vel in simili, ut cum una Respublica defensionem, altera pecuniam & commeatuum subministrationem æquivalentem promittit. 2. Fœdera hæc esse vel æqualia vel inæqualia; Illa sunt, cum omnes eorum partes æqualia secundum proportionem Arithmeticam præstant; Inæqualia verò cum proportio Geometrica servatur, ita ut bonis ac viribus infirmior ac inferior minùs præstet quàm superior. 3. Fœdera hæc esse duorum graduum, quædam enim solùm spectant defen-

defensionem, ita ut partes sibi invicem adversus incursiones hostiles, & ubi defensivè pugnatur, suppetias ferre teneantur, alia verò simul etiam offensionem, qui gradus est major, ita ut si alterutra pars alicui bellum inferat ac offensivè pugnet, altera obligata sit etiam jungere vires. 4. Ad fœdus adjumenti pertinere etiam fœdus *Clientelare*, quod intercedit inter *Patronos s. defensores*, aut *Protectores s. Advocatos*, ut vocantur apud *Althus.* in pol. c. 7. *Besold. Keckerman.* & alios, Germ. Schutz- oder Schirmherren / & inter *Clientes*, Germanicè Schirm-Verwandten / quod etiamsi primo intuitu etiam impropriè dictum fœdus, & quasi cum subjectione conjunctum videatur, benè tamen de eo scribit *Tholosanus lib. 11. de Rep.* c. 11. Qui se committunt in protectionem, non ideò amittunt libertatem & potestatem propriam, nec mutant Dominum, sed auxilio Protectoris ultrò se munire & defendere satagunt, nec protectio advocata alterius, eximit protectos à proprii Domini potestate, quamquàm protectionis nomine beneficium aut pensio, sive census Protectori præbeatur: Nam causa protectionis non habet jus dominii, quemadmodum nec auxiliarii milites mercenarii ideò Reipublicæ domini sunt, quod stipendio ad auxilium & opem & protectionem nostram advocentur. Neq; officiunt exempla, quibus docetur, aliquos ex protectionis officio transiisse in usurpationem potestatis: Nam aliud est invadere potestatem, aliud protegere. 5. Nos nobis non contradicere, cum supra fœdus inæquale, quale dictum fuit dedititium, fœdus impropriè dictum vocavimus, modò verò in hoc eodem §. fœdus adjumenti diximus etiam quandoq; esse inæquale, aliud enim est, cùm supra locuti sumus de inæqualibus fœderibus ratione inæqualitatis personarum & potestatis, & aliud cùm jam sermo fuit de inæqualitate rerum præstandarum. 6. Dari posse forsan plura membra hujus divisionis, pro diversitate objectorum, de quibus pangi potest, e. g. de successione, cum duo vel plures imperantes ita inter se conveniunt ut unius familia extincta altera succedat, quod fœdus dici solet confraternitatis, haud dubie quia pangentes in eo statu ponit, in quo alias, quantum ad successionem, esse solent fratres. Germ. dr. Erbverbrüderung.

§. 3. Dividitur 2, *ratione personarum contrahentium* fœdus

in *Personale & Reale*: per Personale intelligitur, quod cum certis personis percutitur, quibus exspirantibus ipsum quoq; cessat: Reale, quod cum totis Rebuspublicis pangitur; Reale enim hîc vocatur omne illud, quod non pertinet ad certam solùm personá, quâ ratione hos terminos sumunt, qui duplicem Majestatē asserunt nempè Personalem & Realem. Reale igitur fœdus hanc proprietatem habet, ut obliget etiam successores: nec ullius momenti est, quod quidam putant, antecessorem successori non potuisse imponere necessitatem, quia si successor cedit in locum, etiam cedit in obligationem & debitum, sicut si quis velit alterius hæres esse, meritò etiam videtur teneri, ad solvenda ea, quæ debuit alter. Præsertim in Regnis electitiis defuncto imperante, majestas recidit in parentes, qui, cùm antea cum iis pactum fuerit etiam sub persona imperantis, haud dubiè adhuc tenentur, quoties ergò novus imperans creatur & majestatem ab illis accipit, non potest etiam aliter eam habere, nisi cum eâdem obligatione, & ratio hujus rei est, quia hæc obligatio non adhæret personis sed majestati, propagata ergò hâc, etiam propagatur illa.

§. 4. *Ratione durationis* dividitur fœdus in *perpetuum & temporariū*, quam divisionē Cellarius dicit eandem esse cum præcedente, quod si quis dicat, fœdus posse fieri ad annos ducentos, quod non sit personale, quia maneat etiam in personis, nec ultrà eas duret, & tamen non perpetuum, ille sciat litem esse de termino, posseq; etiam hoc fœdus ad ducentos annos dici personale, quia licet non duret solùm ad ætatem personarum viventiū, restrictum tamen est ad eas personas intra ducentos annos existentes: Si verò quis Reale sumat, prout id omne Reale est, quod durat ultrà personas actu viventes, tùm distinctiones hæ non sunt eædem.

MEMBRUM. V.

DE

PERSONIS AD CONTRAHENDA FOEDERA HABILIBUS.

§ 1.

QVod spectat, quinam contrahere fœdera possint, dicimus illud jus meritò tribui illis quibus Reipublicæ curæ est commissa,

missa, in Regno Regi, in Aristocratia optimatibus, & in Politia populo. Quia enim cura nemini committitur sine potestate circa ea, per quæ salus rerum curandarum potest obtineri, quæq; ad eam obtinendam sunt necessaria, consequens est, nec Imperantes hoc carere posse jure. Fœdera enim sunt, quæ non solum ob defensionem, verùm etiam alias causas sunt summè necessaria, ut dictum fuit supra.

§.2. Majestati ergò competit jus fœderum, huicq; soli, hinc ubi personæ privatæ fœdera ineunt, ea non tàm pro fœderibus, quàm pro conspirationibus ac factionibus illicitis sunt habenda. *Ubi tamen notatum volumus* I. Nos loqui de ordinario modo, secus enim est, ubi quibusdam potestas fœderum competit per privilegium, qui tamen Majestatem non habent. 2. Inferiores posse fœdera pangere, sed autoritate superiorum. 3. Si quis dicat excipere communem sententiam fœdera protectionis, quia ibi non mutetur dominus, nec protecti eximantur à proprii Domini potestate, respondere solent alii negando, quod subditi alterius protectionē implorare non possint, quia sint in protectione sui Imperantis, in cujus contemtū vergat & præjudicium illa, excepto hoc casu, si verisimiliter timeant offensionem, nec superioris semper haberi possit copia, tunc enim præsumtionem malæ intentionis tolli. Quid si dicamus neq; hic inferiores autoritate propria, & ex jure ac potestate quadam propria pangere fœdera, sed cum consensu superioris, qui licet etiam non sit expressè datus, præsumitur tamen ob casum necessitatis adesse. Ut verò quis inferior seu subditus dici possit autoritate propria & ex potestate sua posse pangere fœdera, requiritur ut non possit prohiberi à superiori, nec ipsius indigeat consensu, quomodò certum manet id fieri non posse. 4. Si quis opponat, fœdera fieri posse ab illis subditis, qui sub conditione subsunt, & ubi conditio non adimpletur, Ipsi responderemus, hoc non fieri ab ipsis quatenus sunt subditi, sed quatenus per non adimpletam conditionem à conditionata subjectione iterum sunt suæ potestatis ejusdemq; status, cujus fuerunt ante constitutum imperantem.

MEMBRUM VI.
DE
PERSONIS QUIBUSCUM CONTRAHENDA FOEDERA.

§. 1.

HActenus qui fœdera contrahere posſint, ſequitur jam quibuscum ea contrahantur. Ubi monemus diverſas eſſe quæſtiones, quibuscum fœdera iniri posſint, & quibuscum omninò debeant, & quænam ſvadeat Reipublicæ ſalus. Quod priorem concernit, regulariter fœdera contrahi posſunt cum iis, quos ſupra diximus eadem poſſe contrahere ipſos. Si verò de altera dicere velimus, conſideranda putamus perſonarum genium & Fortunas.

§. 2. Fortunæ dotes conſiſtunt in potentia: Potentiam igitur eorum, cum quibus ineundum fœdus, requirimus; Nam eos eligendos, vel iis adhærendum eſſe, qui plurimum nobis in bello prodesſe, & inimicis nocere posſint, Politicorum ſvadet Chorus: *Potentes quærito, quia ſocietates potentiores ad ſecuritatem multum præſtant, & aliàs egeſtas ſocietatum dirimendarum cauſa exiſtit. Arum. vol. 1. diſc.* 28. n. 43. Obſervandum & hic dicterium Hadriani; *in caducum parietem non esſe inclinandum. Lipſ.* 4. Pol c. 9. n. 48. *Qui imbellium ſocietatem ambiunt, quærunt cum qua gente cadant; Econtra illi, qui jungunt ſe potentiâ & felicitate florentibus, adamantinos pro incolumitate ſua clavos figere dicuntur. Schönborn.* 4. Pol. c. 36. Quare ſocios fœderis eligas divitiis & opibus inſtructos, nervus namq; belli potisſimum in pecuniâ conſiſtit, nihilq; tâm munitum eſt quod non pecuniâ expugnari posſit, & omnia caſtella hæc machina dejiciet, in quæ modò aſinus onuſtus auro aſcendere poterit, ut dicebat Philippus Macedo. Cum nimis tamen potentibus fœdera non ſemper ſunt tuta, ſed cautè habenda. denn mit groſſen Herren iſt nicht gut Kirſchen eſſen/ & periculo non caret wenn einer wil Gäſte laden/ deren er nicht mächtig iſt. *Feſchius. diſp. de fœder.* th. 12. cùm facilè fieri posſit, ut ſocius in ſervum evadet, *Keckerm. l. Syſt. Polit. c. 24.*

§. 3. Vincinitatem inſuper & hîc requirimus; cum remotioribus enim nec tuta ſunt fœdera nec fœcunda; Huc etiam facere

vide-

videtur proverbium illud: *Procul qui habitant amici, non amici*; hinc germanicum illud, Es ist besser ein Nachbar an der Wand; als ein grosser Freund über Land. *Reinking.* de R. S. & E. *Lib.* 2. Cl. 3. *cap.* 3. n. 35. p. m. 1027. Si enim loci oportunitas absit, non facilè periculo affulgebit auxilium, cùm remoti non ita citò se nobis conjungere posſint, & vicinorum animi arctiùs & quasi naturæ vinculo copulati videantur ad mutuum auxilium & defensionem. Absit tamen, ut miseros & afflictos aut valdè periclitantes, si valdè remoti sint, excludamus, ut potiùs eos in fœdus recipiendos existimemus: *Nihil enim Reipublicæ honestius, quàm maxime egentibus auxilium præstare, & in periculo versantibus succurrere* Bodin. l. 5. de Republ. c. 6. Comparatè tamen & alii melius esse putant, cum potentiore remoto, quam cum vicino infirmo fœdus inire, quod improbantem vide *Warem. ab Ehrenb.* lib. 1. c. 2. n. 28. Excipimus eum etiam casum, ubi res sit Reipublicæ cum peregrino, ita enim optimè cum ipsius vincinis initur fœdus, ut ab omni parte affligatur hostis, neq; omne bellum in nostram irruat Rempublicam e. gr. putamus salubriter iniri fœdus cum Persa, quoties bellum gerendum esset cum Turca.

§. 4. Ad cognoscendum genium, anteactorum accurata habenda est ratio, quâ fide nimirum & constantia se erga alios confœderatos suos gesserint socii *Althus. in polit. c. 17. n. 31.* in quibus enim crudelitas, perfidia, nihil sancti, nihil veri nullus Dei metus, nulla jurisjurandi religio, nulla fortitudo, nulla constantia, ab eorum societate rectè abstinemus; Quapropter omninò providendum erit, ne in Leoninam societatem abeat confœderatio, quâ commodum omne ad unum aliquem redeat, reliqui verò fœderati interim onere quidem graventur, commodo autem fraudentur: Ergò unum debet esse omnibus propositum, ut & eadem sit utilitas uniuscujusq; & universorum, quam si ad se quisq; rapiat, dissolvetur omnis humana societas, docente *Cicerone 3. Off.* p. m. 185. Nec facilè fides adhibenda ei, qui semel atq; iterum fallere consvevit; & hinc est quod Carolus V. negaverit posse se fidere Francisco I. â quo semel deceptus fuerit, & contra Franciscus dixerit, tanto minus se posse fidere Carolo V. quantò magis is se deceptum existimabat, prout ex *Alberico Gentili de jur. bell* refert *Feschius.* d. disp.

§. 55.

§. 5. Deindè multum momenti latet in fortitudine & magnanimitate, in felicitate, in similitudine politiæ, religionis & morum, & deniq; in animorum conjunctione: de quibus hunc in modum loquitur *Warem. ab Ehrenb.* lib. 1. c. 2. n. 35. *Animi dotes, fides, fortitudo, prudentia, magnanimitas, sæpè opes in Principibus superant, ubi satius est, socios habere Attilium Regulum fortissimum, cui exiguus fundus satis fuit, animus magnus gratior. M. Publ. Scipionem cui funus de publico solutum ob rei familiaris angustias, Æmilios 16. quibus una domuncula & unus fundus* sufficiebat, *quàm vel Crassum locupletissimum, vel Neronem magnam pecuniæ summam in impurissima spectacula impendentem, vel Antiochum profusissimam prodigalitatem exercentem.*

§. 6. Consiliorum quoq; promptitudo & felicitas multùm juvat potentiam, consiliis enim arma temperanda sunt *Althus. in polit.* c. 25, n. 19. & consiliis cautis potentia tutior habetur, & quies semper tutior, multaq; quæ naturâ impedita sunt, consiliô expediri, Idem ex Livio refert ibid.

§. 7. Quia etiam diximus requiri animorum conjunctionem, consequitur fœdera maximè consistere inter easdem specie Respublicas, & contra: Nam periculosa & dubia sunt fœdera cum iis qui in diversa Politice formâ vivunt. *Keckerm. lib. 1. Syst. Pol c. 24. Althus. c. 25. n. 22. Reinhardus König* d, *disp. 3.* th. 87. hujus rei hanc reddit rationem, quòd diversitas imperii cum animorum plerumq; dissensione conjuncta sit, & consiliorum in agendo diversitatem pariat, quæ vel maximè fœderibus est inimica, utpote quæ diuturna esse non possunt, nisi animi & opinionum consensu, & consiliorum universâ conspiratione conglutinentur.

§. 8. Sunt & qui ad firmius animorum vinculum religionis consensum in confœderatis requirunt, quapropter etiam in præced. th. 5. religionis fecimus mentionem; idq; propterea, quòd vix firma sint futura jura pacis inter eos, inter quos est bellum fidei & quî fieri potest, ut homini sit amicus, qui DEO est infidus? inquit *Johan à Chokier lib. 1. Polit. Aphor. c. 11.* Sed cùm optandum illud potiùs, quàm fieri posse sperandum, frustrà talem consensum exigis. *Arum.* vol. 1. disc. 28. n. 53,

§. 9. Sic etiam magnam vim habet ad conjungendas amicitias,

tias, studiorum ac naturæ similitudo: dispares autem mores disparia sequuntur studia *Cic. in Lælio*; & fœderatorum voluntates contrariæ sunt tanquàm arena sine calce, quæ facilè dissolvitur.

§. 10. Etiam pro periculosis reputantur fœdera cum domo vel familia semel offensâ, quia facilè obducta semel cicatrix recrudescit: Ut etiam eò firmior sit animorum conjunctio, non consultum putant Politici, plures habere fœderum socios; multitudine enim facilè distrahuntur animi, perfectaq; cum multis amicitia nemini intercedere potest.

§. 11. In specie huc pertinet ea quæstio vexatissima, an cum aliarum religionum hominibus bene ineantur fœdera ab Orthodoxis præsertim cum infidelibus sive paganis. Diversæ sunt hâc de re sententiæ, præsertimq; de ea disputatum fuit, cum Franciscus I. Galliarum Rex cum Turca fœdus iniret. Varios verò communiter solent distingvere casus, priusquàm, quid sentiant, dicant; nos nostram mentem in seq. conclusion: includemus, & simul, quod illi obstare videtur, removebimus: *Fœdera cum aliarum religionum hominibus in se non sunt illicita, tamen non facilè ineunda:* Prius membrum patet ex hoc unico, quòd nulla ratio afferri possit, nec ulla lex, secundùm quam hæc fœdera pro illegitimis possint haberi, ut patebit ex solutione argumentorum, quæ contra adducentur; Cui accedunt exempla sanctissimorum virorum, nempe Abrahami, qui cum Mamre, Escol & Aneri. *Genes.* 14. v. 5. 13. cum Abimelecho *Genes.* 21. v. 32. Item Isaaci cum Abimelecho *Genes.* 26. v. 31. & licèt communiter pro verisimili habeatur hosce confœderatos eandem eum Patriarchis habuisse religionem, hoc tamen partim non est prorsus certum, partîm etiam alia exempla possunt adduci nempè Jacobi cum Laban *Genes.* 31. *v.* 44. Josuæ cum Gabeonitis. *Josue* 9. *v.* 15. Salomonis cum Hiramo 1. *Reg.* 5. Judæ Maccabæi cum Romanis, 1. *Maccab* 8. *&c.* Imò quid hodiè frequentius est? Hæc ergò tam diu habentur pro licitis, donec ostendatur contrarium. Tandem si licet cum heterodoxis esse, quidni liceat etiam cum iisdem agere, justitiamq; in bellis legitimis per eos tanquam organa exercere. Videbimus verò quid afferatur: Proferunt communiter prohibitiones, *Exod.* 23. *v.* 33. *Num.* 33. *v.* 55. *Exod.* 34. *v.* 15. Respondet. hæc obligant solos Ju-

dæos, quos noluit DEUS conjungi cum gentibus Cananæis, quæ jam tùm interneccioni erant destinatæ: Adducunt indignationem divinam propter ejusmodi conjunctiones cum infidelibus, cùm Rex *Assa Benhadab. 2. Chron.* imploraret, similiter cum Achas peteret auxilia Tiglath Philassar contra Regem Syriæ. *2. Reg. 16. v. 7. 2 Chron. 28. v. 16 & 19. &c.* Respondetur: interminationes istæ vibratæ in fœdera inita cum infidelibus, non pendent ex ipsa fœderis natura, sed è singularibus vitiis & qualitatibus personarum fœdera contrahentium, jam, quia plus fiduciæ ponebatur in fœdere quam in DEO, jam quia confœderatorum vitia imbibebantur &c. Objiciunt porrò, quod sæpiùs prohibeatur conversatio in S. Sc. Respond. κατ' ἄνθρωπον, quod communiter contrasentientes ipsi concedant fœdera pacis & commerciorum, solumq; negent fœdera auxilii. Et 2. quòd distingvendum sit inter conversationem Civilem & Spiritualem. Opponunt imminentia abundè pericula Resp. propter periculum aliquid non statim fit in se illicitum. Dicunt ex *1. Cor. 6.* Si Paulus indecens & nefas esse putavit Christianos homines propter lites & controversias civiles coram infideli judice litigare, & potiùs voluit injurias tolerare, quàm id cōmittere, quantò magis nefas erit infideles ad auxiliū vocare? Resp. Paulus ibi non prohibet litium compositionem coràm infidelibꝰ Magistratibus, sed potiùs rixas multiplices & vindictæ cupiditatem: Excipiunt per illa fœdera obscurari gloriam DEI, â quo sola sit speranda victoria. Resp. hoc argumentum ostendit & impugnat solum abusum: Instant: bella non minùs piè, quàm fortiter gerenda; hoc verò cum infidelium auxiliis fieri non posse. Resp. hoc est petere Principium. Addunt infideles non posse juramento confirmare fœdera, sed falsos Deos invocare. Resp. propterea non sunt illicita ea fœdera, imò superstitio fidelium eos non minus, nisi magis constrictos, tenet ad fidem servandam, ut patet copiosè ex exemplis: *Posterius membrum tam certum est, ut id neminem facilè negaturum credamus, ob multa pericula, quæ indè emergunt, nempè seductionis, scandali.*

MEM-

MEMBRUM VII.
DE
QUANAM RE SINT CONTRAHENDA FOEDERA.

CONsideratâ præcedentibus duobis membris Causa Efficiente, sequitur ut de Materiali causa paucula subjiciamus: Ut autem brevitati studeamus, dicimus: Materiam maximè consistere in rebus, pro quarum defensione fœdera suscipiuntur; Sunt autem istæ res vel sacræ, puta, Religio, vel Prophanæ, ut Jurisdictiones & territoria: Sed hæc ita occurratè determinari non possunt, vel enarrari; Potest enim fieri fœdus de unaquaq; re, quæ licita est ac honesta, & quâ opus habet Respublica, sive ad esse, ut se habet defensio, sive ad bene esse, qualiter comparata sunt mercimonia & commercia.

MEMBRUM IIX.
DE
CONDITIONIBUS ET CAUTELIS CIRCA FOEDERA OBSERVANDIS.

§. I.

ET ut nos paucis expediamus, *conditiones fœderis æquæ ac honestæ ut sint*, requirimus. Bodin. lib. 5. de Republ. c. 6. *Non pugnantes cum pietate aut virtute aliquâ Politica, sed potius ad earum præsidium facientes; Non aliorum injuriam & oppressionem libertatis*, nec solum bonum *utile pro meta habentes* Besold. d. disp. 6. th. 28. *Cavendum ergò maximè*, ut rectè monet Warem. lib. 1. c. 2. n. 84. *Ne utilitatis & privati commodi, vindicandæ injuriæ leviusculæ illatæ gratia, & respectu occulti honoris vani, voluptatis ludicræ, ludi jociq; gratiâ, vel securitatem in carnis mortalis brachio quærens quis contrahat fœdus: Nisi enim quis ad DEI gloriam, proximi dilectionem, patriæ libertatem, subditorum conservationem respexerit, & ut Majestas & Religio salva sit, is finem & effectum fœderis ut non considerat, sic neq; causam & principium ejusdem intelligit. Nec solum honestæ & æquæ confœderationes ut sint, necesse est, verum etiam possibiles, sc. ut pecuniarum & mili-*

tum auxilia, aliaq; necessaria praestari possint. König. c. l. th. 110.

§. 2 Cum autem *nullâ re magis Principes ac populi periclitentur, quam in pace cum hostibus sancienda, & in contrahendis fœderibus ac societate ineunda*, prout verè Bodin. l. 5. c. 6. certæ quædam cautelæ erunt observandæ. *Unaquaeq; enim res, quò majoris est amplitudinis & utilitatis, eò citiùs ad pericula prolabitur, suisq; certis limitibus communienda est.* König. d. disp. 3. th 90.

§. 3. Quare à Principibus & Rebuspublicis fœdera cautissimè ineunda, ne dum fœderibus promiscuè se implicant, eorum occasione alienorum peccatorum, adeòq; alienarum pœnarum participes fiant; Qui enim se arctius fœderibus implicant, sæpenumerò inviti rapiuntur ad negotia injusta & perniciosa.

§. 4. Cùm potentioribus ita ineantur fœdera, ne illi sub specie amicorum fiant Domini, & ita advocentur, ut abitus & discessus eorum maneat in Reipublicæ arbitrio. Aliàs enim Philippus occupat urbes Græciæ, Turca expugnat limites Europæ, Saxones retinent Britanniam & alii alias sub specie ferendi auxilii provincias. Præsertim ne exercitus sociales in ipsas munitas urbes intromittantur, caveatur maximè, nec exercitus robustior quàm par est, in provincias, secus enim occasio ansam dat perfidiæ ac occupandæ Reipublicæ. Præsertim prudentia opus est in ineundo fœdere clientelari, præscribitq; Bodinus sequentia observanda. *1. Ut æquissimis conditionibus uterq; teneatur. 2. Deindè ut protectionis tabulæ, quas protectionis literas vulgò vocant Clientibus dentur à Patrono, quibus testatum sit Majestatis ac libertatis jura salva & integra clientibus futura. 3. Ut breviorum temporum intervallo finiantur, ut, si clientibus graviora videantur, mutari, si honesta, continuari possint: Maximè verò observandum, ne clientum arces vel oppida præsidio militari teneant Patroni, quod observarunt Scoti, cùm in Anglorum protectionem venirent Anno 1559. Prudenter enim ab iis provisum est, ut & obsides Scotis darentur, quos renovare sexto quoquè mense, nec arcem ullam Anglis in Scotia habere liceret.* Bodin. lib. 5. c. 6.

§. 5. Omnium etiam cautionum felicissima putatur, si *fœdera affinitate & propinquitate contractâ jungantur, nam & aperta bella hác ratione finiuntur.* Besold. d. disp. 6. th. 31. Bodin. lib. 5.

de

de Rep. c. 6. *Sic etiam maximam & potentiam & autoritatem, quæ fundamentum est potentiæ, adferunt honorata potentium connubia* Adamus Contzen lib. 8. Pol. c. 24. §. 6. Quapropter Principi soceri generiq; quærendi sunt potentes, aut ad res gerendas opportuni; *Et ita fieri videmus* inquit idem, *ut odia regia finiantur amoribus, & gentibus saluti sint connubia, nec ullâ re bella felicius quam nuptiis finiuntur.*

§. 6. Ponunt & hanc cautionem Politici, quam etiam bellariorum loco apponit Besold. d. disp. 6. th. 41. nempè *loca silentio involvenda, in quibus fœdera panguntur invidiosa.* Carolus enim Imperator Smalcaldiam civitatem, propter fœdus ibi factum, nisi intercessione Mauritii Electoris placatus fuisset, solo æquasset, quod ex Spangenberg. in Chronic. Henneb. l. 5 c. 33. refert König d. disp. 3. th. 49. vid. Besold. d. disp. 6. th. 4. Warem. c. 2. n. 40.

§ 7. In fœderibus sanciendis observandus quoq; est modus, qui debet esse clarus perspicuus & apertus; *Ambiguitatem igitur verborum præcidere, & quoad ejus fieri potest, de pactis conventis amputare utilissimum erit, ne justorum atq; injustorum specie, perjurio latebra decipiendiq; occasio quæratur: Tantæ siquidem sunt hominum fraudes, tot in mentibus latebræ, tantiq; recessus, ut fidei violandæ occasio ex rebus quibusq; levissimis quæratur, quanquam perfidia deesse potest nemini perfidiæ latebras quærenti.* Bodin. d. c. 6. Meritò igitur damnanda Cleomenis Regis Lacedæmoniorum malitia & calliditas, qui cùm triginta dierum cum hoste pactæ essent induciæ, noctu populabatur agros, quòd dierum essent pactæ, non noctium Induciæ. Alii verò non tantùm verba, sed & syllabas aucupantur; uti contigit Philippo Hassiæ Principi, cui scripto inter alia à Carolo. V. cautum erat, daß er mit einiger Gefängniß nicht beschweret werden solle / postquam autem fisus huic cautioni Imperatori se stitisset, ab Albano Duce proditoriè carceri mancipatur, cùmq; urgeret Heros intrepidus contra datam fidem secum agi, ipsi producuntur literæ, quibus scriptũ erat, daß er mit ewiger Gefängniß / &c. & ita ex voce Einig / factum Ewig quod Jesuiticum, non Christianum.

MEMBRUM IX.

DE

CEREMONIIS ET SOLENNITATIBUS FOEDERUM.

§. 1.

Ritus & solennitates in pangendis fœderibus adhibitæ apud varias gentes variæ fuêre: Quo verò ritu fœdera Romani percusserint, eleganter ex Livio Rosinus lib. X. Antiq. Rom. c. 2. docet, cujus hæc sunt verba. *Fœdera alia aliis legibus, cæterum eodem modo omnia fiunt: Tum ita factum accepimus, nec ulius vetustior fœderis memoria est; Fecialis Regem Tullum rogavit: Jubesne me Rex cum Patrepatrato populi Albani fœdus ferire? Jubente Rege: Sagmina, inquit, te Rex posco: Rex ait, puram tollito: Fecialis ex arce graminis herbam puram attulit: postea Regem ita rogavit: Rex facisne me tu Regium nuncium populi Romani Quiritium? vasa comitesq; meos? Rex respondit quod sine fraude mea populiq; Romani Quiritium fiat, facio: Fecialis erat M. Valerius is Patrempatratum Sp. Fusium fecit, verbenâ caput capillosq; tangens, fœdus, mulsisq; id verbis, quæ longo effata carmine, non operæ pretium est referre, peragit; Legibus deindè recitatis, Audi inquit, Jupiter audi, audi Paterpatrate populi Albani, audi tu populus Albanus, ut illa palam prima, postrema ex illis tabulis cerave recitata sunt sine dolo malo, utiq; hic ea hodiè rectissimè intellecta sunt illis legibus populus Romanus prior non deficiet, si prior deficit publico consilio, dolo malo, tu ille Diespiter populum Romanum sic ferito, ut ego hunc porcum hodiè feriam, tantoq; magis ferito, quantò magis potes pollesq;, idq; ubi dixit porcum saxo silice percutiebat.*

§. 2. Idem ex Polybio in commemoratione fœderis inter Carthaginenses & Romanos icti, ita scribit, Romanos in fœderibus feriendis jurasse Lapidem, cujus verba non abs re erit adjicere: *Romani*, inquit, *Jovem lapidem secundum vetustissimum ritum, ac per Martem & Eugalium jurarunt: Ritus verò jurisjurandi per Lapidem fuit hujusmodi: Fecialis sumto in manibus lapide, postquam de fœdere inter partes convenerat, hæc verba dixit: Si rectè ac sine dolo malo hoc fœdus atq; hoc jusjurandum facio, Dii mi-*

bi

hi cuncta felicia præstent: Sin aliter aut ago aut cogito, cæteris omnibus salvis, in propria patrias, propriis legibus, in propriis laribus, in propriis templis, in propriis sepulchris solus ego peream, ut hic lapis è manibus meis decidet, nec plura locutus lapidem manu dejiciebat: Modò panis vel salis libatione, modò vini aut contrahentium mutuâ sangvinis propinatione, & aliis modis variis apud veteres firmabantur fœdera: Sic apud Scythas qui egebat auxilio, immolato bove, carnibusq; decoctis, supra tergus victimæ humi jacebat, quem opem laturus accesserat, quo ipso fœdere se adstringebat, eoq; nihil ipsis erat sanctiùs, Unde natum proverbium: in tergore bovis desedit, i. e. supplex auxilium petiit. Arabes fœdus ineuntes, alius quidam medio stans inter utrumq; acuto lapide feriebat volam, juxta majores digitos coëuntium, deinde sumpto flocco ex utriusq; vestimento, inungebat eo sangvine septem lapides in medio positos, invocans interim Boochum & Uraniam Feschius. d. disp. th. 14.

§. 3. Ritus verò & solennitátes, quæ hodierno tempore in pangendis fœderibus observantur, consistunt 1. in præsentia contrahentium, vel etiam ipsorum Legatorum; præstat tamen, si fieri possit, fœderum tractationi in personâ interesse Principes, cum multa accidere possint, cur ratum non habeant, quod per Legatos suos actum est. 2. In juramenti interpositione, licet Principum fides juramento æquipolleat. 3. In Scriptura, quæ requiritur, non quasi natura fœderis hoc exigat, sed potiùs consvetudo & prudentia mortalium, ex perfidia & caluminiosa fœderis nuncupativi interpretatione orta, quippe scriptura non pertinet ad substantiam sed probationem contractuum. 4. In Scripturæ perspicuitate ac formalitate, nam scripturam apertam, claram ac perspicuam esse oportet.

MEMBRUM X.
DE
FINE ET DISSOLUTIONE FOEDERUM.

§. 1.

PRiusquam autem ad ipsam fœderum progrediamur dissolutionem, paucis de fine, cujus gratiâ ineuntur fœdera, dispiciemus.

Hunc

Hunc autem confœderati sibi propositum habeant finem, ut primariò gloriam DEI, secundariò verò ipsam Reipublicæ promoveant salutem, & in specie, ut confœderati mutuis auxiliis juventur, vel ad profligandam subditorum rebellionem, aut barbariem exterorum bella inferentium extirpandam, vel ad religionem libertatem, bona defendenda, vel ad justè sibi debita, occupanda, aut ablata injustè, recuperanda vel si qui sunt fines alii.

§. 2. *Danda igitur est opera ne fœdera semel facta mutentur aut violentur* Melch. Junius. Quæst. pol. 74. *Nec probantur qui oblevissimas quasq; offensiones à sociis acceptas, ruptis fœderibus bellum inferre non dubitant, ut quondam Scoti adversus Pictos gravissima bella gesserunt ob canes ereptos, tametsi sexcentos ferè annos pacem ac societatem coluissent*, ut memorat Bodin. d. c. 6. circa fin. fides enim semel data & hosti, & infideli, & hæretico servanda. Fœdera itaq; legitimè contracta, non temerè sunt violanda, nec facilè & qualibet levi de causâ dissolvenda.

§ 3. Si igitur contentiones & controversias inter confœderatos oriri, prout oriri solent, contingat, non illicò ad arma perveniendum, sed hæ omponendæ & dirimidendæ judiciis sunt, omnia siquidem prius tentanda ac pleraq; dissimulanda sunt, *perfidia enim scelus adeò ipsi DEO & hominibus detestabile, ut fœdifragos & perfidos DEUS impunitos nunquam relinquat*, Camerar. Cent. 2. s. Meditat, 78. circa fin.

§. 4. Consultum itaq; & utilissimum erit in omnibus Principum ac Rerumpublicarum fœderibus concipiendis, pactis conventis, arbitros & judices fœderum aut pactionum constituere, si quâ inter socios controversia oboriatur, sic tamen ut in utramq; partem arbitri pares sint.

§. 5. Sunt tamen justæ quædam ac probatæ fœderis solvendi causæ, puta si cesset conditio, si tempus sit elapsum, si finitum sit negotium; Certum enim est quod fœdera contrahantur ad certum aliquem finem, puta bellum aliquod conficiendum, quod si bellum confici possit Transactione vel aliis mediis, fœdus quoq; quod ad tale bellum contractum est, ipso jure exspirat, nam durat eousq; societas, quousq; negotium finitum sit.

§. 6.

§. 6. Non minus ex causa egestatis dirimuntur fœdera', deficiente puta pecunia, quamprimum enim collatio annua vel menstrua in corroborando thesauro confœderatorum cessat, daß man den Verlag nicht stärcken kan/ cessat etiam fœdus, vel minuitur, & in nihilum redigitur. Warem. lib. 1. c. 2. n. 134. Ultrà posse ergò non obligantur.

§. 7. Causam deniq; dissolvendorum fœderum præbet altera pars fœdus atrociter violans: Nam cui rupta fides erit vel uno capite fœderis, jurisjurandi religione solutus est, ita ut nullo fœderis capite teneatur, nemo enim mihi imputare potest, sibi promissum non servari, quando primus ipse promissum non servat. Et hæc de fœderibus dicta sufficiant.

SOLA SOLI SOLISQUE DEO SIT GLORIA SOLI.



COROLLARIA.

1. *Utrum Politica definiri possit?*
2. *Belligerare Christianis num sit concessum?*
3. *Num licitum sit stratagematibus in bello uti?*
4. *Utrum Lupanaria toleranda?*
5. *Num Judæi in civitate sint tolerandi?*
6. *Numné peregrini in Civitatem recipiendi?*
7. *An omnium rerum communio in benè constitutâ Politiâ concedenda?*
8. *Num Magistratus Politicus DEO placeat?*
9. *Utrum fœminis pateant dignitatum portæ, adq; Magistratum admittendæ?*
10. *Num Princeps Antecessoris sui facta adimplere cogatur?*
11. *Utrum ad idem officium, videlicet Magistratum gerendum, congregandi sint consangvinei v. gr. Pater & filius?*
12. *Num dives pauperi, ratione Magistratus gerendi, sit præferendus?*
13. *Num Magistratui iniqua præcipienti sit obediendum?*

PОrrò tuum præstes / Et Apollo *fœdera* ſolvet,
Proq; labore tibi præmia larga dabit.

Ita ominabatur de Per-Eximio
Dn. Reſpondente

M. Gottfridus Zapffius,
Præſes.

EXemplum dum Te Germani PROVOCAT, amplos
Ingenii fructus anticipando refers:
Materiæ gravitas mentem ad ſublimia natam
Arguit, & ſi ſic pergis, ad aſtra feret
Fama tuum Nomen, de quo Tua Patria, Fratres,
Cum Genitrice Parens omina fauſta dabunt.
Hæc Tibi jam voveo, voto ſubſcribat Jova,
Atq; meis dictis pondus ineſſe velit.

Hac ad petitum Dn. Conſalini, Fautoris
ac Amici ſui ex omnibus integerrimi
de novo ſpecimine gratulabundus
ὁλοκαρδίως adponebat

Chriſtianus Schlotthauer/
Isleb-Saxo.

An seinen geliebten Bruder.

Du zeigest hier
as ein Verbündniß sey. Mit wem es einzugehen/
Ich sage schier
ß Pallas und auch du in gleichem Bunde stehen.
Ists wahr? So halte fest / denn so der Bund zergeht
Weis ich in Wahrheit nicht ob Wissenschafft besteht!

Joachimus Neumann/
S. S. Th. Stud.

---

re palàm quisquis rudis formidat in armis,
Huic Mars armipotens Nulla brabéa refert
ta sic Pallas nulli decernit honores,
In Castris lentus qui, sine luce, latet.
is huic generi tete, dùm corde virili
Laudandas dulcis spargis Amice minas.
iè factum! cœptis ego grator honestis,
Dona tibi Pallas, serta viendo, parat.

Politissimo Dn. Autori, amico suo integerrimo gratulabundus hæc apposuit

Jonas Schultze Tangermünd,
Palæo-Marchita.

ß werth-gesinnter-Freund / in Wollust sich be-
finden
ie sich den Lüsten nur in allen Thun verbinden/
ihrer Zeit behertzte Mörder seyn/
er That allzeit nur führen blossen Schein/
n mit der Kunst Verbündniß einzugehen.
nergrünend bleibt! und bey den Musen stehen

Als

Als treuer Bundsgenoß/ durch unerschöpfften Fleiß
Erlangen Wissenschafft: Diß ist der Tugend Preiß.
Denn ein erhabner Geist wil stets im Himmel schweben/
Klimt allzeit Wolcken an/ wil niemals unten kleben
Bey der gebückten Schaar/ die nur in Eitelkeit
Und grimmer Angst verschleust die beste Lebens-Zeit
Die sonst geflügelt fleucht. Drumb wol sich deine Sinnen
Entreissen diesem Thun/ Dein eyfriges Beginnen
Entdeckt dem Saal-Athen/ was weiland Du gehört/
Und was der Majen Sohn dich sonderlich gelehrt
Von jungen Beinen an: Nun läst du kundbar werden
Durch deinen scharffen Sinn/ so sich schwingt von der Erden/
Was ein Verbündniß sey/ und wem es sonst gebühr/
Und eine Stadt und Land als heller Demanth zier.
Fahr fort! fahr immer fort! den Sinn noch weiter richte/
Und Dir des Höchsten Gunst/ der Tugend Glück verpflichte/
So wird Gott/ Glück und Kunst Dir geben hin zu Lohn'/
Dir Kunst Verbundenen/ die immer grüne Cron!

Glückwünschend beeylete dieses
seinem werth-gesinneten Freunde



D. B. Pforth.

